



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XVIII. De eo quod supra capite 3. Cum nuntius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

privilegium illud, sicut gratiam sancti Petri & nostram  
caram habetis, cum nuntio vestro, qui ad nos secure cum  
eodem veniat, dilatione & occasione cessante nobis re-  
mittatis.

CAP. XVI. *Idem\* Exoniensi & Vuigornienfi episcopis.*

Testes, quos R. clericos vel laicos vobis nominaverit, Aliquos ad  
testimoniū  
compellen-  
dos.  
moneatis, & si opus fuerit, auctoritate apostolica compellatis ad perhibendum testimonium veritati.

CAP. XVII. *Eugenius tertius.*

Quoties aliqui separantur propter cognationem pro-  
pinqunitatis, vel consanguinitatis, tribus testibus adhibi-  
tis affirmari debet, qui de eadem consanguinitate super-  
sunt: vel a duobus, vel tribus testibus senioribus & melio-  
ribus eiusdem loci probari debet. Probatio autem testium  
debet fieri duplici iuramento. Testes enim debent iurare, Duplex iu-  
ramentum  
testium.  
se neque priuato odio vel amicitia, neque pro auro, neque  
pro aliquo commercio quod habuerint, vel habituri sint,  
ad hoc iuramentum esse inductos. Postea debent iurare,  
sicut ipsi dicunt, sic se rei veritatem accepisse a maioribus  
suis, & ita esse.

CAP. XVIII.

*Idem priori & fratribus sanctæ Trinitatis Londensis.*

Insuper etiam auctoritate nostra statuimus, vt liceat vo-  
bis in causis ecclesiæ vestræ testimonium ferre, dummodo In causa  
propria re-  
ligiosos ad  
testimoniū  
admitti.  
vnus vel duo ex vobis ad agendum & respondendum insti-  
tuantur, quorum testimonium in causis, in quibus actores  
vel responsales sunt instituti, debet admitti.

CAP. XIX.

*Idem\* Exoniensi & Vuigornienfi episcopis.*

Ad hoc quod præfati clerici scripta authentica non ha-  
bent, quibus muniri possint, præsentium vobis significa-  
tione mandamus, vt omnes illos clericos, siue laicos, quos  
isti clerici nominauerunt, moneatis, vt rei veritatem &  
quæ super ipsa causâ nouerunt, coram vobis aperiant: non  
etiam gratia vel timore alicuius, vel odio, in suæ salutis pe-  
riculum reticere præsumant.

*Concil. Tom. 27.*

Aaaa ij